

possum. Varias illas necessitatis species unusquisque novit, licet eas in sermone familiari verbis non distinguat.

VII. Si existentiae ratio sufficiens in essentia entis continetur; ens necessario existit, estque existentia ejus absolute necessaria. Si enim existentiae ratio sufficiens in essentia entis continetur, ens istud ideo existit, quia hanc habet essentiam, ac proinde existentia est ejusdem entis attributum essentiale; sed attributa sunt absolute necessaria, ut ex praecedentibus colligitur, & deinde infra fusius ostendemus; ergo existentia est absolute necessaria. Hinc ens necessarium est cujus existentia absolute necessaria est, seu quod rationem existentiae suae sufficientem habet in essentia sua, & ens contingens est, quod rationem sufficientem existentiae suae in essentia sua non habet. Unde patet omne ens esse vel necessarium vel contingens.

VIII. Disputare solent Philosophi utrum entis nomen sit *univocum*, seu in eodem sensu sumi debeat respectu entis necessarii & contingentis, respectu substantiae & modi, & tandem respectu spiritus & corporis. Tota quaestio illa, quae in tres partes frustra dividitur, una eademque responsione facile solvi potest. Etenim si consideretur ens generatim tanquam genus supremum, abstractione facta a differentiis quibuscumque, certum est entis nomen saltem per abstractionem univocum fieri respectu entium quorumcumque. Verum quia ens per mentem duntaxat a suis differentiis separari potest, revera & sine ulla mentis  
ope-